



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Nouitijs ceteris præficitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

quibus gestiebat sancti adolescentis animus, ubi receptum se in domum Domini conspexit: nam ut hi Deo soli noti, sic à nemine sunt notati. Illius etiamnum primæ vesperæ memini, cum post cœnam, dum in conclavi staret, in quod omnes ad remittendum animum conueniunt; ubi mundo se expeditum, Dei que seruis adnumeratum vidit, tantâ fuisse interiùs dulcedine perfusum, ut totâ eâ horâ, ob tenerrimum animi sensum, lacrymis continenter indulgere cogeretur.

*Internum  
animi gaudium.*

Quamprimùm fuit in familiam adlectus (neque enim diu latet virtus) sui statim specimen dedit, innocentis nimirum (qualis erat) puri, prudentis, omni que in re absoluti; planè ut Nouitiorum instructor, ceteris eum in exemplum proponeret imitandum. Atque hinc etiam, quâ in opinione eum Superiores habuerint, intelligi potest; quòd cum necesse esset, creari ex ipsis Nouitijs vnum aliquem, qui reliquis Tyronibus quodammodò præesset, eosque in externâ disciplinâ duceret, ac suum cuique munus partiretur, qui que instar socij, vicariam quamdam operam commodaret ipsi Magistro Nouitiorum; id munus scilicet detulerint Ioanni: quod ille tantâ omnium approbatione gessit, ut nemo vniquam sit repertus, vel è centum amplius Nouitijs (quot tum capita cen-

*Virtus eius  
se prodit.*

*Nouitijs  
ceteris præ-  
ficiuntur.*

*Omnibus  
in praesentia  
charus,  
gravis ne-  
mini.*

*Idem om-  
nium de  
eius virtu-  
te iudiciū.*

*Perpetua  
oris hila-  
ritas.*

*Gaudet  
morsifica-  
tionibus.*

sebantur) qui de eo quereretur. Quin etiam in posterum, si quando aliquem e successoribus eius deprædicare vellent, ut magnum dicere solebant; Videtur alter esse Berchmannus. Quicumque eum aut videbant, aut cum eo versabantur, Angeli instar suspiciebant. Ac semel aliquis coram, ut ingenuo eum rubore perfunderet, narrabat; quo tempore beatissima Virgo miracula in Aspero-colle perpetrare cœpisset, eodem quoque tempore insigne vnum fecisse Diesthemij; ubi Angelus quidam humanâ carne vestitus apparuisset (digito ad Ioannem intento) qui specie moribusque Angelus audiebat. Enim verò eam semper oris hilaritatem alacritatemque præferibat, ut eum aliqui S. Hilarium, alij S. Lætum facetè appellarent. Nec intervallo placidus erat, & rursus ex placido turbidus; sed, perpetuo tenore blandus, etsi illi natura non ignavi sanguinis spiritusque generositate ferueret. Sui ipsius subiugatione contumeliosque gaudebat; laceras pannosque vestes amabat; publicè reprehendi, vilibus applicari operibus exoptabat: gestiebat quoque asellum suum (ita corpusculum vocabat) abs se alijsque fatigari. Cupiebat autem flagrantissimè, suas sibi culpas coram alijs exprobrari; quarum ut syllabum aliquem Superiori adferret, ab his illisve, equos